



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium,  
Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum  
Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XXIII. De obligatione Judicis ex probabilitate opinionum causam  
decidentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS XXIII.

*De obligatione Judicis ex probabilitate opinionum causam incidentis.*

**P**ilatus Judex à Republica constitutus cum non modico Salario annuo non multūm sollicitus est de majore causæ probabilitate & ejus meritis rimandis, & examinandis, sed dummodo pro se sententiam probabilem inveniat, secundūm illam judicat, & si par sit utriusque partis litigantis probabilitas, causam adjudicat illi, cui maluerit. Nec multūm invigilat officio suo publico, sed potissimum tempus impendit negotiis suis domesticis, & causis aliorum privatorum, majoris lucri faciendi gratiā,

**QUÆR. I.** An Judex in judicando teneatur semper sequi sententiam probabilem?

**QUÆR. II.** An Judex, qui secundūm minūs probabilem sententiam judicat, non solum peccet, sed etiam ad restitutionem teneatur?

**QUÆR. III.** An, quando probationes ex parte facti sunt aequales, & jus aequum favet uni, quam alteri ex litigantibus, integrum sit Judici applicare rem, cui maluerit?

**QUÆR. IV.** An, & quid Pilatus ratione neglecti sui officii Reipublicæ restituere teneatur?

**A** 141 D I. Q. Convenit inter DD. in causis criminalibus, quando dubium ex diversitate opinionum oritur, nontantum posse, sed teneri Judicem favere reo, sequendo opinionem probabilem illi faventem, etiamsi hæc sit minūs probabilis, quam op-  
posita; in obscuris enim secundūm iura favendum est reo, Reg. 11. de Reg. jur. in 6. ubi dicitur: Cūm sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.  
*R. P. Leonardellus Soc. Jes.*

Quæstio h̄ic igitur est de causis civilibus, quando in his ex diversitate

U tate

tate opinionum dubium oritur circa jus, an Judex injudicando secundum sententiam minus probabilem judicare, & ante probabilitatem, sequi teneatur? Ubi complures, quos refert, & congerit Diana p. 1. tr. 13. R. 3. & p. 11. tr. 2. R. 60. antehac affirmarunt, posse Judicem sententiam ferre juxta sententiam minus probabilem, ea ratione moti, quod qui juxta probabilem opinionem fert sententiam, non temerè, sed prudenter operetur, utpote gravi ductus fundamento: ergo non peccat, sententiam omittendo probabiliorem.

142 Verum controversiam hanc, & item inter DD. agitatum diremit nuper Innocent. XI. proscribens hanc propositioem num. secundam. Probabiliter existimò, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. Idque merito: nam tenetur Judex in terenda sententia opinionem sequi probabiliorem non solum ex jure positivo Canonico, & Civili Reg. 45. jur. in 6. & l. in obscuris, ff. de Reg. jur. ubi dicitur: *Inspicimus in obscuris, quod est verissimum.*

Sed etiam ex jure naturali, sicut enim Medicus, etiamsi ex charitate, & absque Salario suam operam agroto praeter, tenetur ex quodam contractu implicito pharmacum applicare probabilius protuturum, ac sanativum, omisso minus probabili, quando potest æquè utrum-

que adhiberi, ita Judex ex contractu implicito cum Republica teneatur sententiam ferre secundum meritam causæ, eamque illi adjudicare, cui magis jura favent; alias male consultum esset bono publico, & pejus pauperibus, si Judex pro suo favore, amicitia, consanguinitate &c. licet sententiam ferre posset in favorem eorum, quibus jura minus favent. Et ratio ulterior est, quia Judex constituitur à Republica tanquam fidelis Minister, ut in veritatem diligenter inquirat, & sincerè secundum jura, & æquitatem judicet viam securiorem ingrediendo, non secùs ac Oeconomus à Domino constitutus ad providendum rebus suis domesticis, qui idcirco tenetur pro æquali pretio emere meliora, & utiliora, & Medicus pharmacum adhibere securius. Unde -

Fundamentum partis contrariae hinc locum non habet, ut advertit citt. Viva in propos. citt. nam aliud est, licet sequi sententiam practicè probabilem, & aliud speculativè duntaxat probabilem; quamvis enim prudenter operetur, quiete quitur opinionem practicè probabilem; non tamen prudenter agit, qui sequitur opinionem tantum speculativè probabilem, quando datur lex, seu conventio de sequenda probabiliore, uti hinc fit, sicuti nec Medicus prudenter, nec licet operatur, nec Minister sacramentorum, sequendo opinione-

neum

nem minus probabilem, quia in his omnibus datur obligatio sequendi, quod est probabilius, ac tuncius.

Aliud est in aliis actionibus humanis, quando probabilitas versatur circa licentiam, seu honestatem actus, & secundum probabilitorem sententiam Probabilistarum licitum est sequi sententiam minus probabilem, relictam probabiliore, quia per hoc, quod aliquis sequatur sententiam verè probabilem, seu gravi nixam fundamento, & operationem suam illi accommodatam credat esse prudentem, jam evitat omne periculum peccandi formaliter, & solùm potest incurtere periculum peccati materialis, quod evitare non tenemur, alias nec possemus sequi sententiam probabilissimam relictam tutiore.

At verò Judex sequendo opinionem minus probabilem relictam probabiliore per hoc non evitat damnum collitigantis, pro quo stat opinio probabilior, sicut non evitat Medicus, nec Minister sacramentorum sequendo in eorum administratione opinionem minus probabilem, quia evitatio horum dannorum dependet à veritate, prout est à parte rei, & non à tuo ultimo dictamine, quod hīc, & nunc de libertate actionis tibi formas.

143 Ad 2. Q. judicem judicando secundum sententiam minus proba-

bilem non solùm peccare, sed etiam teneri ad restitutionem parti omis-  
sæ faciendam, docent complures cum, & apud C. Lug. D. 37. S.  
10. n. 121. & Viva citt. præsertim illi, qui negant posse Judicem judicare, & sententiam terre in favorem opinionis minus probabilis, relictam probabiliore.

Ratio est, quia Judex secundum minus probabilem sententiam judicando peccat contra justitiam commutativam auferendo ab altero ex litigantibus id, quod ipsi debetur, & ad quod jus habet; habet enim jus, ne res adjudicetur illicollitiganti, cui minus assistunt favores legum, & Judex ex mente Republicæ tenetur judicare, & stare pro causa meliore, & cui iura magis favent; sicut enim laedit justitiam commutativam, & ad restitutionem tenetur, qui vi, mendaciis, fraudibus &c. impedit alterum à consecutione alicujus boni, quia quamvis hic non habeat jus absolutum ad tale bonum, antequam ei conferatur; habet tamen jus, ne vi, vel fraude &c. impediatur ab ejus consecutione, ut alibi ex communi dictum est, ita ad restitutionem tenetur Judex judicans secundum minus probabilem opinionem, quia inest alteri jus strictum, ne adjudicetur res illi, cui minus assistunt iura, juxta quæ Judex debet judicare, nec Judex partibus propriè jus confert, ut pote quod collitigantes ad rem ad-

U 2      judi-

judicandam jam habent ante lenti-  
tiā Judicis, sed exspectatur duntaxat  
sententia, ut Jūdex declareret, cui  
jus competat præ alio; cùm au-  
tem jus magis competat illi, qui  
meliorem habet causam, & cui ju-  
ra magis assistunt, pro hoc erit ju-  
dicandum, & declarandum.

Conf. quia judex conductitur à  
tota Republica ad impedienda sin-  
gulorum damna, & ideo singuli  
retinent sibi jus contra Judicem pro  
parte damni sibi ex Judicis culpa  
interendi.

Dices, si Jūdex teneretur ad re-  
stitutionem, tunc ea obligatio ju-  
dicandi pro parte probabiliore o-  
riretur, ex debito, quod Jūdex  
habet erga Rēpublicam inquiren-  
di veritatē, & secundūm eam, ac fa-  
vorē juris judicandi: ergo violando  
hoc debitum solum peccabit con-  
tra Rēpubl. & tenebitur illi resti-  
tuere juxta detrimentum, quod  
bonum commune inde patitur, quæ  
tamen restitutio non est de toto in-  
teresse litis; sicut etiam qui eligit  
minus dignum, vel indignum ad  
beneficiū, non tenetur regu-  
lariter, saltem extra concursū,  
restituere digniori prætermisso, ut  
tenet communis, sed soli Ecclesiæ  
pro ratione detrimenti, quod illa  
inde patitur: ergo idem similiter  
dici poterit de Jūdice in calū pos-  
to.

R. n. c. nam in hoc casu non  
est aliud damnum, quod patitur Res-

publica, nisi in quantum unus civis,  
qui habet meliorem causam, pri-  
vatur bonis; hoc autem damnum  
non alio modo resarcitur, nisi ille  
idem civis habeat bona, ad quæ ha-  
bebat probabilius jus: ergo si Ju-  
dex tenetur ad resarcendum, dam-  
num Rēpublicæ, tenetur etiam ad  
restituendum parti probabiliori,  
quæ fuit lœsa. Econtra in allato  
exemplō de eligente minūs dignum  
diversum est damnum commune,  
quod per electionem dignioris vita-  
ri intenditur, à damno privati, qui  
prætermittitur; in electione enim  
minūs digni, omisso digniore, cùm  
nemo ad tale beneficium habeat  
jus strictum proprietatis, utpote  
quod est bonum commune distribu-  
endum in utilitatē, & bonum ipsius  
Communitatis, idcirco si non fide-  
liter, & ad mentem Communitati-  
s distribuatur, non peccatur con-  
tra jus strictum particularis perso-  
næ; unde non particulari personæ,  
sed Communitati resarcendum est  
damnum ex tali electione secutum;  
secūs se res habet in altero calū, ubi  
bonum, quod adjudicatur secun-  
dūm opinionem minūs probabilem,  
non est Communitatis, sed pro-  
prium colligantium: ergo si per  
injustam Judicis sententiam dene-  
getur illi ex colligantibus, cui de-  
betur, huic tenebitur Jūdex dam-  
num compensare, cùm non solum  
adversus Rēpublicam delinquat,  
sed etiam adversus eum, qui suo  
bono privatur.

Ad



144 Ad 3. Q. quando utraque opinio est æquæ probabilis, seu ex utraque parte stat æqualis juris, ac facti probabilitas, in Judicis arbitratu positum esse, causam adjudicare utri parti maluerit, docent Joan. Sanch. D. 44, n. 31. Petr. Ledelin. de mair. q. 45. a. 1. dub. 2. ad 3. Valent. D. 5. q. 7. p. 4. dub. 3. Sayrus l. 1. c. 11. prop. 2. Salas q. 21. tr. 8. D. un. S. 12. Medina 1. 2. q. 19. a. 6. concl. 2. Salon. q. 63. a. 4. contr. 2. concl. 1. aliquie. Moventur, quia Judex vi officii, & justitia distributiva non magis uni debet id bonum judicij favorabilis, quam alteri, sed uterque illo judicio dignus est; sicut ergo inter duos beneficio Ecclesiastico æquæ dignos datur optio, & liberum est Episcopo beneficium conferre, cui maluerit: ita & Judici in sententiis ferendis.

145 Nihilominus communis sententia cum, & apud Lug. D. 37. de iust. S. 10. Palaum D. 2. p. 10. Suarez. de charit. D. 23. S. 6. Coninck. de mair. D. 34. dub. 10. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. docet, in posito casu debere Judicem, si res secundum pretium sit divisibilis, eam inter colligantes dividere, vel si utiliter divisibilis non sit, debere vel per sortes ex partium consensu uni adjudicare, vel arbitros constituere, vel alio modo partes inter se componere &c. nisi alteruter favore possessionis gaudeat, vel nisi sint causa pupillorum, viduarum, loco-

rum piorum, matrimonii, dotis, libertatis &c. ubi si res dividi non potest, debet Judex, cæteris paribus, pro iis causis privilegiatis sententiam ferre, ut notat Dom. Vival. c. Ratio dictorum est, quia cum Judex non sit dominus rei, sed distributor, non potest pro suo arbitratu jus ullum in alterum transferre, sed debet distribuere pro qualitate juris, quod unaquæque pars habet; cum ergo unaquæque pars jus habeat in rem illam æqualiter, nulla est ratio, cur potius uni, quam alteri parti tribuat; sicut enim unaquæque pars non potest sibi rem illam integrè vindicare, ita nec etiam Judex poterit ei integrum adjudicare, atque adeò dividenda erit, si divisibilis, vel alio modo compositio suadenda, vel, si opus sit, etiam imperanda, ut cum aliis notat Abb. in cap. ult. not. 4. de major. & obed.

2. Quia alias facile locum habet acceptio personarum, & pauperes plerumque causâ caderent; cum enim voluntas in obscuris possit multum inclinare intellectum, facile contingit, ut Judex sentiat rationes esse æquales, ubi non sunt, & causam decidat pro eo, cui cupit favere. Multo minus potest Judex aliquid accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio, ut patet ex hac propositione ab Alex. VII. damnata: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquæ probabiles, potest Judex pecuniam accipere*

U 3 præ


*pro ferenda sententia in favorem unius  
præ alio,*

Nec urget paritas , seu exemplum de beneficio Ecclesiastico ; nam ad beneficium Ecclesiasticum nullus habet jus etiam justitiae distributivæ , quousque eligatur, sed potius hæc justitia exigit , ut unitantum ex concurrentibus conferatur , & beneficium nec quidem secundum estimationem dividi potest ; in causa verò collitigantium utraque pars ante sententiam Judicis jus habet justitiae ad rem illam , nec Judge alind facit , quām declarare , cui tale jus competat , & cūm utriusque æquè jus competat , pro utraque parte erit declarandum & res dividenda.

146 Ad 4. Q. R. Pilatum ita negligentiter Officium suum obeundo non solum peccare , & ad restitutionem omnium damnorum teneri , quorum suā negligentiam , imperitiā , aut malitiā causa extitit , sed etiam obligari ad restitutionem salarii Reipublicæ faciendam saltem pro rata , & ratione neglecti Officii , & omissionis debitæ negligentiae ; quia qui non facit , quod

vi Officii sui facere tenetur , peccat contra justitiam , & ad restitutionem tenetur ; Judge enim à Republ. constituitur , ut officiō luō , ob quod salarium accipit , rite , & diligenter fungatur , & non solum , ut diligenter bonum publicum procuret , sed etiam caveat , ne Respublica damnum patiatur , ex sua culpa , & negligencia oriturum.

Huc facit etiam tum statutum Gregor. IX. in C. si culpa fin. de injur. & damno dato , tit. 56. ubi : si culpa tua , inquit , damnum est datum , vel injuria irrogata , aut hæc imperitiā tuā , sive negligentia , evenierunt , jure super his satisfacere te oportet , nec ignorantia te excusat , si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam . Tum Catechismus Trident. p. 3. de 7. præcept. n. 17. ubi ita de talibus loquitur : Illi quoque in furum numerum reponendi sunt , qui ad privatum aliquod , vel publicum officium conducti sunt , nullam , vel parvam operam nantes munus negligunt , mercede tantum , & pretio fruuntur.



## CASUS